



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

5 Vtrum alimentum conuertatur in veritatem humanæ naturæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



bus, & sic per quandam coniecturam aliquis non habens charitatem potest percipere aliam charitatem habere. Hoc autem dico supponendo, quod aliquis possit scire se habere charitatem, quod tamen non puto esse verum, quia in actibus ipsius charitatis non possumus sufficienter percipere quod sinta charitate elicit propter similitudinem dilectionis naturalis cum dilectione gratuita.

Ad PRIMVM ergo dicendum, quod in non habente charitatem non secundum esse naturae, sed secundum esse intelligibile, est essentia charitatis.

Ad II. dicendum, quod postquam aliquis desinit habere charitatem secundum esse naturale charitatis, adhuc charitas in ipso manet secundum esse intelligibile, & sic potest scire quid sit charitas. Manent etiam in memoria eius actus charitatis, quos facit etiam in memoria sensibili propter actus sensibiles charitatis, qui uique manent secundum sui similitudinem sicut & cetera sensibilia, & ex his aliquis memoratur se habuisse charitatem.

Ad III. dicendum, quod illud quod est in memoria redit ad intelligentiam, non ita quod eadem specie numero quae est in memoria, postmodum fiat in intellectu, sed per illum modum loquendi, quo phantasmata dicuntur fieri in intellectu, ut dictum est.

QV AESTIO III.

ARTICVLVS V.

Verum alimentum conuertatur in ueritatem humanam naturae.

**D**E I N D E quaritur de his quae pertinent ad corpus humanum, utrum alimentum conuertatur in ueritatem humanam naturae, & uidet quod non, quia in corpore humano id quod est de ueritate humanae naturae est caro, uel os secundum speciem: sed alimentum non conuertitur in id quod est secundum speciem, sed in id quod est in materia, ut ut dicere phil. in 1. de generatione. ergo alimentum non conuertitur in ueritatem humanam naturae.

¶ 2. Praet. Id quod est de ueritate humanae naturae, oportet quod semper in homine maneat, alias non remaneret homo idem numero: sed illud quod generatur ex alimento, non semper manet, immo fluit & refluit, ut patet ex 1. de generatione. ergo quod generatur ex alimento, non est de ueritate humanae naturae.

¶ 2. Praet. Aug. dicit, quod nos fuimus in Adam dupliciter, secundum seminalem rationem, & secundum corpulentam substantiam: Christus autem fuit in eo secundum corpulentam substantiam, & non secundum seminalem rationem: id autem quod ex alimento generatur in nobis, non fuit in Adam, ergo illud quod est de ueritate corpulentae substantiae nostrae non est ex alimento generatum.

Sed dicebat quod corpulenta nostra substantia fuit in Adam originaliter, & non essentialiter. Sed contra. Semen originem rei importat. Si ergo dicimus in Adam fuisse secundum corpulentam substantiam originaliter tantum, tunc idem erit esse secundum corpulentam substantiam, & secundum seminalem rationem, quod est falsum, ergo idem quod prius.

Sed contra est, quod dicitur in 2. de anima. Alimētum est potentia tale, quale est illud quod nutritur: sed quod est potentia aliquale, in illud conuertitur.

**A** ti potest, ergo alimentum conuertitur potest in illud quod nutritur: sed illud quod nutritur, est id quod est de ueritate humanae naturae, ergo alimentum conuertitur in id quod est de ueritate humanae naturae.

¶ 2. Praet. Semen ex quo fit generatio, maxime uideatur ad ueritatem humanae naturae pertinere: sed semen secundum philosophum in 15. de animalibus, est de superfluo alimenti, ergo alimentum conuertitur in ueritatem humanae naturae.

RESPON. Dicendum, quod ad huius questionis euidentiam oportet primo uidere quid sit ueritas humanae naturae. Veritas autem uniuersumque rei, ut dicit Auicenna in sua meta. nihil est aliud quam proprietas sui esse, quod stabilitum est ei, sicut illud quod proprie habet esse auri attingens ad terminos stabilitos naturae auri, dicitur esse uere aurum. Vnum quodque autem proprie habet esse in aliqua natura, per hoc quod substat completae formae propriae illius naturae, a qua est esse, & ratio speciei in natura illa. Unde illud pertinet ad ueritatem uniuersumque rei, quod est completum illius rei per formam, & pertinet directe & per se ad completionem illius rei: tam enim in naturalibus quam in artificialibus inueniuntur quaedam, in quibus consistit principaliter ratio rei: alia autem quae sunt ordinata ad horum conseruationem & meliorationem, sicut stipites & fructus, per se pertinent ad complementum arboris, unde sunt de ueritate naturae ipsius. Folia autem sunt quodammodo ordinata ad fructuum conseruationem, & quantum ad hoc non uidentur esse de ueritate naturae arboris principaliter. Similiter ratio gladij consistit in ferro & acumine eius, vagina autem est ad gladij conseruationem: unde si gladius esset res naturalis, ferrum esset de ueritate naturae eius, non autem vagina. Sic autem de ueritate humanae naturae esse dicimus illud, quod per se pertinet ad perfectionem humanae naturae, complete participans formam speciei: illud autem non est de ueritate humanae naturae in homine, quod est ordinatum quodammodo ad hominis conseruationem, uel meliorationem quamcumque. Sciendum est ergo, quod natura humana potest dupliciter considerari, uel secundum totam speciem humanam, uel secundum esse quod habet in hoc indiuiduo, & secundum hoc inueniuntur in praesenti quaestione tres opiniones. Quidam enim dicunt, quod alimentum non conuertitur in ueritatem humanae naturae neque secundum speciem, neque secundum indiuiduum. Dicunt enim quod tota materia quae nata est esse sub specie humanae naturae, fuit in corpore Adae, nec aliqua alia materia potest fieri uere subsistans humanae speciei, & ex illa materia ex qua corpus primi hominis constabat, fuerit aliqua pars de cetera, quae quidem per multiplicationem quandam sine additione exterioris materiae augmentata est iurantem, quod peruenit usque ad perfectam & completam quantitatem in corpore Seth. Ex quo iterum aliquid decisum est in formationem corporis filij sui, & praedicto modo multiplicatum, & sic totum humanum genus multiplicatum est ex illa materia, quae fuit in corpore primi hominis sine alicuius extrinseci additione. Illud autem quod ex alimento generatur, est necessarium nobis ad conseruationem illius humiditatis, quae est de ueritate humanae naturae, ut scilicet calor naturalis habens aliquid aliud quod consumat scilicet humiditatem ex alimento generatam quasi accidentalem, non consumat humiditatem quae est de ueritate humanae naturae, sicut aurifices apponunt plumbum & argentum non

id. 44. q. 1. s. 2. q. 4. o. & 2. di. 30. q. 1. ar. 2. q.

Tex. com. 35

Tex. com. 45



non consumatur ab igne, vnde in resurrectione qñ  
 veritas humanæ naturæ erit inconsumptibilis, ali-  
 mento non indegebimus, nec resurget in nobis ali-  
 quid quod ex alimento sit generatum, sed solum  
 id quod fuit in Adam: sed inconueniens uideretur  
 huiusmodi positio propter duo, quantum ad præ-  
 sens pertinet: quia eiusdem rationis est formam a-  
 liquam nihil amittere de materia subiecta, & nihil  
 de nouo acquirere, cuius substantiæ & naturæ nihil  
 accrescit, nec deperit. Constat autem q̄ aliqua ma-  
 teria, quæ erat substantia humanæ naturæ, definit esse  
 humanæ naturæ substantiâ, sicut patet in morte vnius  
 cuiusq; hois. Vnde nisi aliqua materia de nouo ad-  
 deret humanæ naturæ, sequeretur quod minus ef-  
 set modo id, quod est de veritate naturæ humanæ  
 in actu, quàm tempore Adæ, & sic natura speciei  
 non perfecte saluaretur per generationem. Secun-  
 do, quia ista mutatio quam multiplicationem dicit,  
 nullo modo est secundum essentiam ipsius mate-  
 riæ, sed solummodo secundum quantitatem, vel di-  
 mensiones ei accidentes. Non enim dicunt quod  
 aliquid materiæ de nouo per essentiam creetur, vel  
 aliunde addatur, sed quod illa eadem materia quæ  
 prius erat minor, postea fiat maior: nihil autem est  
 aliud rarefieri & condensari quàm mutari eandem  
 materiam de magnis dimensionibus in paruas, &  
 e conuerso. Vnde sequeretur secundum prædictam  
 positionem, quod illud quod est de veritate huma-  
 næ naturæ semper rarefieret per continuam gene-  
 rationem & augmentationem, & tantum quantū  
 sustinere non posset. Effet enim iam illud quod est  
 de veritate humanæ naturæ, innumerabiliter mag-  
 nis rarum quam ignis: quod patet esse falsum. Et ideo  
 alia opinio dicit: quod alimentum conuertitur in  
 veritatem humanæ naturæ primo & principaliter  
 secundum speciem, non autem secundum indiui-  
 dum, nisi secundario. Dicunt enim quod in uno-  
 quoque indiuiduo humane speciei illud primo &  
 principaliter est de veritate humanæ naturæ quod  
 a parentibus traxit, & hoc vocatur a philosopho ca-  
 ro & os secundum speciem, quæ semper manent:  
 sed quia illud cum sit modicum, non sufficeret ad  
 perfectam quantitatem debitam humanæ naturæ  
 sine additione, ideo adiungitur illud quod ex ali-  
 mento generatur non solum ad hoc quod confer-  
 uetur illud quod fuit a primis parentibus acceptū,  
 vt dicebat prima opinio, sed ad hoc q̄ compleat ex  
 huiusmodi addito perfecta quantitas: & sic illud q̄  
 ex alimento generatur, non est de veritate huma-  
 næ naturæ in hoc indiuiduo principaliter, sed tñ  
 secundario, in quantum est necessarium ad quanti-  
 tatem debitam, & hoc nominat philosophus car-  
 nem & os secundum materiam, quæ fluit & refluit,  
 sed tamen ex hoc aliqua pars seminaliter transit in  
 prolem per generationem, & efficitur principaliter  
 de veritate humanæ naturæ in ipso eū admittione  
 alicuius, quod fuit principaliter de veritate humanæ  
 naturæ in patre, ut quæda volunt: uel sine admittione  
 eius, ut alij dicunt, quod est magis consonū dictis  
 Philosophi in 15. de animalibus, q̄ uult sperma to-  
 taliter esse de superfluo alimenti, & sic illud quod ge-  
 neratur ex alimento, nō potest esse quod sit princi-  
 paliter de veritate humanæ naturæ in ipso qui nutri-  
 tur, sed potest esse de veritate humanæ naturæ princi-  
 paliter in alio eiusdem speciei, s. in filio ipsius. Et se-  
 cundum hanc opinionem dicunt, q̄ illud quod est  
 principaliter de veritate humanæ naturæ in unoquo-  
 que totum in ipso resurget, nō aut totum quod ex  
 alimento generatur, sed solum quantum sufficit ad

completionem quantitatis, cum propter comple-  
 tionem quantitatis tantummodo ad veritatem hu-  
 manæ naturæ aliquam pertineat: & hæc opinio  
 consonat sententiæ Ale. commen. qui exponit car-  
 nem secundum speciem, quam philosophus dicit  
 semper manere, esse illud quod a parentibus trahi-  
 tur: carnem vero secundum materiam illud quod  
 ex alimento generatur, quæ fluit & refluit. Sed hæc  
 opinionem commentator Auerrois reprobat in  
 tractatu quem fecit super librum de generatione.  
 Cum enim illud quod ex alimento generatur, nu-  
 triat in quantum est potentia caro, & auget in quan-  
 tum est potentia quanta caro, ut dicitur in 2. de anima,  
 illud quod generatur ex alimento, postquam acce-  
 perit speciem carnis, efficitur unum cū illo quod  
 prius inerat, quia in fine conuertitur iam est simi-  
 le: unde non uidetur esse aliqua ratio, quare calor  
 naturalis aliqui possit consumere de illa humiditate  
 carnis quæ ex alimento generatur, & nō de in-  
 miditate quæ a parentibus trahitur, nec posset ali-  
 quo necessario modo illud probari. Et ideo tam il-  
 lud quod est a parentibus acceptum, quam illud quod  
 est ex alimento generatum, æqualiter se hēt ad hoc  
 quod maneat, uel consumatur per calorem natu-  
 ralem, & ad hoc quod restauret per nutrimentum,  
 quod est fluere & refluxere, & sic æqualiter per-  
 tinet ad ueritatem humanæ naturæ quod genera-  
 tur ex alimento, & quod a parentibus trahitur. Et  
 secundum hoc est tertia opinio, quod alimentum  
 conuertitur in id quod est principaliter de ueritate  
 humanæ naturæ & quantum ad speciem, & quan-  
 tum ad indiuiduū. Ponit enim hæc opinio, quod  
 utrumque, s. & quod ex alimento generatur, & quod  
 a parentibus trahitur, indifferēter & æqualiter for-  
 ma humana perficitur, & utrumque indifferēter  
 manet, uel consumitur: manet quidem secundum  
 speciem, consumitur autem & restauretur secun-  
 dum materiam. Sicut in aliqua republica diuersi  
 homines numero ad communiter pertinent  
 quibusdam morientibus, & alijs in locum eorum  
 succedentibus: & sic non manet una respublica se-  
 cundum materiam, quia sunt alij & alij homines,  
 manet tamen una numero quantum ad speciem si-  
 ue formam, ppter ordinis unitatem in officijs di-  
 stinctis: ita et in corpore humano manet caro, &  
 os, & unaquæque partium eadem numero quan-  
 tum ad speciem & formam, quæ consideratur in de-  
 terminato situ, & uirtute, & figura, non autem ma-  
 net quantum ad materiam, quia illa materia car-  
 nis, in qua talis forma erat, prius consumpta est, &  
 alia in locum ei successit, sicut patet de igne qui  
 continuatur secundum eandem formam & mo-  
 dum per hoc, quod consumptis quibusdam lignis,  
 alia supponuntur quæ ignem sustinent. Et secun-  
 dum hanc opinionem de utroque prædictorum  
 indifferēter, generato ex alimento, & a parenti-  
 bus tracto tantum resurget, quantum est necessa-  
 rium ad speciem & quantitatem debitam huma-  
 ni corporis. Et hæc opinio mihi uidetur ceteris  
 probabilior. Secundum ergo hanc opinionem ad  
 primum dicendum, quod distinctio philosophi,  
 qua distinguit carnem s. m. speciem, & s. m. materiam,  
 nō est sic accipienda, quod alia sit caro quæ dicitur s. m. speciem,  
 s. a parentibus tracta, & alia quæ sit s. m. materiam ex  
 alimento generata, sed una & eadem caro signata  
 potest considerari, & secundum speciem quam ha-  
 bet, & secundum materiam. Et quod hic sit in-  
 tellectus philosophi patet ex hoc, quod ipse dicit  
 ibidem, quod hoc modo distinguitur caro  
 secundum



secundum speciem & secundum materiam, sicut vnum quodque habentium speciem in materia; In alijs autem habentibus speciem in materia, sicut est lapis, & ferrum, & huiusmodi, non habet locum prima distinctio, sed secunda, ut per se patet. Et id dicendum est quod alimentum conuertitur in carnem que est secundum speciem, i. qua habet speciem, non tamen ita quod alimentum fiat species carnis, sed sit carnis materia, ratione cuius potest dici quod conuertitur in carnem quantum ad materiam, & non quantum ad speciem.

AD SECVNDVM dicendum, quod veritas humana nature, & cuiuslibet alterius rei est a specie, & ideo cum id quod est in homine, maneat secundum speciem, quamuis non maneat secundum materiam, nihilominus veritas humana nature manere dicitur; nec desinit esse idem homo numero, propter mutationem que est secundum materiam, quia non tota materia similiter a forma abstrahitur, ut alia tota simul formam accipiat. Hec enim generatio esset, & corruptio, sicut si totus ignis unus extingueretur, & alius totus accenderetur, sed aliqua pars materiae consumitur, & alia in locum eius substituitur, que efficitur una materia preexistens, per hoc quod ei adiungitur ad sustinendam eandem formam humani corporis, sicut si unum lignum ignis consumat, & aliud loco eius apponatur, erit eadem ignis numero.

AD TERTIVM dicendum, quod ad conceptionem humani corporis duo concurrunt, scilicet materia ex qua formatur conceptus, & iterum vis formativa que conceptum format, quorum primam Aug. vocat corpulentam substantiam, secundum vero seminalem rationem. Dicimur ergo secundum utrumque istorum fuisse in Adam originaliter, in quantum scilicet materia concepti preparata est puritatem generativam matris, vis autem formativa est in semine patris. Et utrumque istorum reducit in Adam sicut in primam originem, a qua humanam naturam traxerunt virtutes consequentes. Corpus autem Christi formatum fuit per virtutem spiritus sancti actiuam: sed materiam ministravit mater, quia ex purissimis sanguinibus Virginis conceptus est, ut Dam. dicit. Et ideo non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed secundum corpulentam substantiam, non tamen ita quod eadem numero que est in nobis, & fuit in Christo, fuerit in Adam.

Et ex hoc patet responsio ad sequens.

QVÆSTIO IIII.

DEINDE quærebatur de his que pertinent ad culpam, vel gratiam.

¶ Et Primo. Quærebatur de his que pertinent ad gratiam.

¶ Secundo, De his que pertinent ad culpam. Quantum ad pertinentia ad gratiam quærebatur.

¶ Primo, De his que pertinent ad prælatos tantum.

¶ Secundo, De his que pertinent ad omnes communiter. Quantum autem ad prælatos quærebatur duo.

¶ Primo, De electione prælatorum, utrum scilicet sit necesse semper eligere meliorem, vel sufficiat eligere bonum.

¶ Secundo, De honore exhibendo prælatis, utrum scilicet mali prælati sint honorandi.

ARTICVLVS VI. QVÆSTIO IIII.

De necessitate eligere meliorem.

Vnum necesse sit semper eligere meliorem.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod necesse sit semper eligere meliorem. Dicitur. n. 4. Regum. Eligite meliorem, & cum ponite super solium patris sui, ergo multo fortius in spiritualibus officiis meliores prælegendi sunt.

¶ 2. Prælat. ad Thim. 3. super illud. Oportet episcopum irreprehensibilem esse, dicit gl. Talis eligatur pontifex, cuius comparatione ceteri grex dicantur, ergo oportet in episcopatu semper eligere meliorem.

¶ 3. Prælat. Leo Papa dicit. Ille qui melior est in presbyteris & diaconibus in episcopum eligatur.

¶ 4. Prælat. Ille qui est propinquior, ad hereditatem possidendam debet preferri: sed Christo cuius patrimonium possident clerici & prælati, est propinquior qui est melior, ergo ad prælationes & officia ecclesiastica semper sunt meliores eligendi.

¶ 5. Prælat. Si aliquid commissum esset a Domino suo ut ei fidelem, & idoneum ministrum quaereret, non ageret fideliter erga Dominum suum, si prætermisso magis idoneo minus idoneum acciperet, ergo multo magis peccat ille cui commissum est eligere aliquem in ministerium Dei, si non eligat meliorem.

SED CONTRA est, quod decretalis dicit, quod sufficit eligere bonum, nec requiritur quod melior eligatur.

RESPON. Dicendum, quod aliquis homo potest dici bonus, vel melior altero dupliciter. Vno modo simpliciter, & sic melior est qui in charitate est perfectior. Alio modo secundum quid, & sic dicitur aliquis melior altero, vel ad malitiam, vel ad magisterium, vel ad prælationem, vel ad aliquid huiusmodi, qui non est melior simpliciter, eo quod in singulis officijs tam spiritualibus quam corporalibus requiruntur aliqua præter moralem bonitatem ad hoc, quod aliquis sit idoneus ad illud officium exequendum. Dicendum est ergo, quod oportet eligere ad prælationem, vel ecclesiasticum officium aliquem qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quilibet spirituale exequendum. Vnde dicit Dio. in epistola ad Demophilum monachum, loquens de sacerdote qui non est gratia illuminatus. Non est ille sacerdos, sed inimicus dolosus, delusor superstitiosus, & lupus supra dominicum populum, pelle armatus ovina: non tamen oportet quod semper eligatur ille qui est melior simpliciter. Possibile est enim quod illi qui est in charitate perfectior, deficiant multa que requiruntur ad hoc quod aliquis sit prælatus idoneus, que in alio qui est minoris charitatis inueniuntur, ut sunt scientia, industria, potentia, & alia huiusmodi. Vnde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum qui sit melior ad hoc officium. Si autem eligat quis eum quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat. Non enim potest esse quod de duobus vnus alteri præligatur, nisi propter aliquod in ipso consideratum. Illud autem quod consideratur in eo qui est minus idoneus ad hoc, quod magis idoneo preferatur, est aliqua conditio indebite mouens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid huiusmodi. Non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad prælati idoneitatem, ex quo alter simpliciter magis idoneus reputatur, & sic indebite mouet, & sic in tali electione erit ibi acceptio personarum, que sine peccato non fit.